



Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

S. Gamelbertvs Sev Amelbertvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

S. GAMELBERTVS

SEV AMELBERTVS.

Sub 1500.
Brusch. in Chron.
Monast. M. S. p. 13.
Aureus.
Vols. 1. 6 MS. p. 14.
Vide etiam S. Vithonis
infra.
Vvolfg. Selender p.
40.

Mic, vt Metensis cœnobij añaes docent, ex nobili stirpe oriundus, primam & florentem ætatem Marti apud Pinum Caroli M. patrem (quamuis inuitus) initiauit, mox rerum cœlestium amore incensus, genus militie non desijt sed mutauit, totumq; se ad res diuinas conuertit, sacrisque initiatus, Romam profectus est, vt SS. Apostolorum limina saluaret, martyrumque vestigia adoraret. Redux ex itinere infantem sacro fonte, nescio quo casu lustrare coactus, Vithonem dixit, simul præfatiens illum sibi olim in parœcia sua administratione successurum. Gregem suum in Michaelbuecheni pago cis Danubium studiosissime curauit, quoad B. Vitho, quem ipse genitalem fontem olim abluerat, peregre aduenit; cui senio annisque fessus suam parochiam commendauit, & quoad uixit sanctissimæ vitæ auctor fuit, adeo vt totius gentis consensu inter cœlites coleretur.

Vvolfgangus Selender paulò prolixius Gamelbertum ex monumentis cœnobij ad S. Emmeramum laudauit:

Gamelbertus, inquit, ex inferiori Banaria, & oppido vulgò Michelbuech, nobilibus & Christianis parentibus natus est & enutritus, in prima florentia ætatis exercitia virtutibus consecrans, puerorum vitare ineptias, & ad sanctitatis opera atque studia animum applicare cepit. Pater videns puerum liberali indole præditum, industrium, & animosum, militaribus artibus instituendum curauit, ad quod vitæ genus & institutum cum nulla ratione induci posset, sed & arma militaria, quibus induebatur sæpius, semper abijceret, grauem indignationem patris incurrat, atque à reliquis fratribus viti degener & ignauus spectatus & delusus, gregem patris pascere iussus est, quod munus, cum non regi terrenum sed cœlesti militare statuisset, totumque humilitatis officijs se consecrauisset, sedulo & diligenter impleuit.

Accidit autem quadam die in pascuis, vt præter morem somno opprimeretur, euigilans inuenit codicem supra pectus iacentem (angelicis procul dubio manibus allatum) quid faceret literarum ignarus? accedit viros & pietate & eruditione celebres, atque ab illis petit in literis instrui, & quid sibi in somniis pecora patris pasceret, cum libro acciderit, exponit. A quibus una cum literis, quas celerrime apprehendit, ad ampliore pietatem informatus, primum quod didicerat, erat, lingua frenum imponere, atque ab omni verbo otioso abstinere.

Sedulus

S. GAMELBERTVS.



n. Sed Iamior f.

17

Martis eram quondam tristis tenebris, satelles,
Quonia sed Martis premia, mortis erant.
NULLA FIDES PIETASQUE VIRIS QVI CASTRA SEQVNTVR;
Aurea pax salus; Mars feneq; morsq; vale.

Castra sequor, quae nulla manu dant funera morti;
Vulnera non faciunt, facta sed arte leuant.
Non tamen aut Chiron, aut sum vetus ille Machaon;
Vulnera non formi, vulnera curo Stygis.

Sedulus

S. CAMERBERTO



Faint, illegible text at the bottom of the page, likely bleed-through from the reverse side.

Sedulus erat custos innocentie, amator continentie, cultor sobrietatis, cupiditas hostis, obrectationis inimicus, persecutor improbitatis. Cumque transmissis adolescentie spacijs, id genus polletet virtutibus, humani generis hostis inuidens tam praeclaris conatibus, quodam tempore cum deambulare in nemore solus instigauit mulierem quandam, quae cum de prostituenda castitate vehementer sollicitaui; quam cum sermonibus honestis, pijsque exhortationibus à nefario proposito non posset abstertere, mox in pedes se coniecit, cursuque rapidissimo au-
fugit. Qua insigni reportata victoria, Deo virginitatem vouit, quam quoque usque ad extremum vitae spiritum integram, inuiolatamque seruauit. Itaque sacris initiatus, per gradus singulos ascendit ad sacerdotium, quo in statu digne & laudabiliter seruiuit domino, die ac nocte. Paulo post moritur parens diuisaque inter fratres hereditate & fundus, obigit ei pagus, in quonatus, & educatus fuerat, cum Ecclesia, ubi ipse parochi vices & munia obiens magno labore peruiigilique diligentia subditorum salutem promouit. Possessiones itaque amplissimas nactus, non in proprios usus, sed magis ut pauperum pupillorumque inopiam ac solitudinem subleuaret, conuertit, ita ut verè pater pauperum dici mereretur & esset. Hominum necessitatibus non solum pecunia, frumento, vestibus, sed & opere, labore, consilijs, alijsque charitatis officijs succurrit. Infirmorum ante omnia maximam habuit curam. Abstinentia fuit admirabilis; à die quo creatus est presbyter, per quinquaginta & amplius annos ab esu carniū tam quadrupedum quam volatiliū omnino abstinuit: pietatem quoque & misericordiam non solum humane exhibebat naturae, sed amore Dei creatoris, omni etiam, quae ab ipso facta est creatura in tantum, ut si auiculam nido ablatam conspexisset, eam oblato pretio redimeret, liberamque euolare dimitteret. Seruos in cadendis vel apportandis lignis, aut in alio quouis graui seruitio laborantes, non permisit foras exire, si aliqua aeris esset inclementia. Septuagenarius amore Christi peregrinari voluit, atque SS. Apostolorum limina visitare, qua peregrinatione deuote peracta in regressu ubi ad quoddam diuertisset hospitium, forte fortuito aut potius Dei instinctu, cum eius loci sacerdos non adesset, offerunt viro Dei infantem baptismatis fonte ablendum, quorum fidem & necessitatem intuens, sicut ad benefaciendum & inserviendum promptus erat, puerulum baptizauit atque Vithonem nominauit. Preuidens autem in spiritu beatus pater, puerum sanctitate & virtutum splendore magnum futurum, cum possessionum suarum, quas haberet adhuc, heredem constituens, petijt à parentibus, ut cum omni diligentia Vithonem educarent, bonis & Christianis moribus informarent, atque ad omnem pietatem incitarent, sibi que ipsum ubi adoleuisset, transmitterent, prouinciam, patriam, locum, & fundum, ubi inueniri posset, luculenter exponens. Regressus ad propria si unquam alias, cum vel maxime pietatis studijs ardentius incumbere cepit atque arctiore disciplina seipsum constringere voluit. Ac licet haberet
jam mor-

jam mortificatas passiones suas & affectus, carnemque crucifixisset cum vitis
 & concupiscentijs, voluit tamen & pedes à discursu cohibere. Quamobrem
 quatuor sibi cruces fabricavit, & erexit non procul ab invicem distantes ad ortum
 solis unam, ad occasum alteram, tertiam ad meridiem, postremam versus septen-
 trionalem plagam, quarum metas, non nisi semel prætergressus est, quodq; propter
 proximorum salutem promouendam fecit. Contigit namque, ut quidam capi-
 tali odio dissidentes, atque ad verbera devenientes alter alterum vulneraret, ubi
 tum sanctus pater gratus Deo existimans, discordantes & tumultuantes in pa-
 cem redigere, quam proprie studere pietati, arrepto baculo cursu senili ut potuit,
 prædictos terminos prætergressus, in medium pugnantium, ira, rabieque efferve-
 scentium se coniecit, quos seiungens non prius dimisit, nisi datis invicem dextris re-
 conciliarentur firmamque pacem stabilirent. Proprios etiam servos, siue sub-
 ditos dissidentes animis aut litigantes, si non potuit sedare salutaribus monitis, pe-
 cunias vestesque obtulit: si nec muneribus placarentur, liberos abire permisit cum
 liberis: Melius esse, inquit, immeritam libertatem concedere talibus, quam
 Deum offendere, contentiosos & obstinatos in peccato tolerando: ipse cum omni-
 bus pacem habuit, neminem toto vita tempore aut verbo lesit aut facto offendit.
 Humilitate præterea valde fuit conspicuus, quæ non in moribus & conversatione
 tantum sed etiam in habitu, qui erat simplicissimus, eluxit. Aedes paternas
 cum haberet sumptuosas & splendide extructas, noluit inhabitare, sed vilem do-
 munculam non procul ab Ecclesia sibi erigens, dies noctesque cum lacrymis Deum
 inibi pro salute proximorum orabat. Sacratissimo Quadragesima tempore
 nunquam in publicum processit, semperque latuit, neque alicuius præsentiam fer-
 re voluit adeo in pietate rerumque celestium meditatione absorptus, singulis die-
 bus sacrum missæ officium dixit, interiecto tamen velo, ne laicos ipse conspiceret.
 Diacono sacrosancta Corporis dominici sacramenta dispensandi curam commi-
 sit. Si quispiam ex sacerdotibus peccatorum suorum confessionem facere volu-
 isset, huius ipse verba ad fenestellam excepit, salutarique penitentia munda di-
 misit. Ad vesperam refectio panis ater cum sale & aqua erat. Tali modo
 diebus quadragesimæ carnem attriuit, quatenus ad pascha purior & vegetior in
 conspectu domini appareret. Inter hæc prophetico spiritu etiam claruit, multa
 futurorum præcius intellexit, atque inter hæc, tempus resolutionis suæ. Cum ut-
 que amici & propinqui viderent beatum patrem senio jam venerabilem, viribus
 que in dies destitui, atque ad æternæ remunerationis braaium anhelare, commu-
 ni habito concilio petierunt, quatenus de successore & pastore animarum substi-
 tuendo cogitaret; quos ille benigne consolans aiebat, Deum sibi ostendisse hæc redem-
 ptiõnum suarum & rectorem animarum eumque completo anno præsentem
 fore. Elapsa itaque anno venit beatus Pitho quem in itinere Romano baptiza-
 verat. Tunc convocatis amicis & vicinis hilari voce eos compellans, Ecce au-
 bat, promissum domini quod accepimus; hic vir, hic est, quem superiore anno ven-
 tūm

turum pradixi, hunc mihi Dominus dedit heredem, vobis autem pastorem; eum quia per baptismum Deo & Ecclesia genui, & filium in Christo charissimum & heredem meum esse, palam denuncio, huius monitis & consilijs sedulo & diligenter obtemperabitis. Quibus dictis omnia pleno jure in manus Vrhonis tradidit & consignavit adstantesque amicos huius traditionis testes adhibuit, ipse vero paullo post in lectum decidens infirmari cepit. Sciens autem finem vita jam adesse animæ labeculas salutari confessione expians, sumptoque corporis dominici Sacramento, cursum mortalitatis absolvit, beatamque animam per manus Angelorum in superas transmisit sedes XVI. Calend. Febr. ubi nunc fruitur perenni vita gloriosus Confessor domini Amalbertus, letaturque in celestium civium contubernium se introductum. Claruit non paucis miraculis, inter quæ illud est memorabile, quod die constituto, quo sacrum corpus Ecclesiastica sepultura tradendum esset, cum vehemens glacialis ventus pluuijs mistus insurrexisset, plerique ob aeris inclementiam dubitarent, an tali tempestate progredi deberent, attamen ubi cerei sunt accensi feretrumque leuatum, mox omnis resedit ventus, pluuiæque tam diu suspensa mansit in aëre, donec iusta funebria persoluerentur, salutaris hostia immolaretur, & quilibet ad propria rediret, tum & ventus & pluuia redierunt. quod videntes vniuersi stupefacti laudabant & benedicebant Deum qui voluntatem timentium se facit, & deprecationem iustorum exaudit.

Nota. Vita S. Gamelberti seu Gamulberti habetur Ratisponæ in monasterio S. Emmerammi in membranis: in illo videlicet Codice, ex quo desumpta fuit & descripta vita S. Seuerini

Noricorum Apostoli & a VVelfero

typis tradita.



L

B. ADELIN-